

iocabuntur dicentes, Malus monachus bonus clericus est. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, & tam graui contumelia clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cum aliquando etiam bonus monachus uix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut persona regulae integritas. Sed de ipsis credo arbitrata sit beatitudo tua, quod nostra uoluntate, ut suis potius corregionalibus utiles essent, de monasterio recessissent. Sed falsum est, sponte abierunt, sponte deferuerunt, nobis, quantum potuimus, pro eorum salute renitentibus. Et de Donato quidem, quia iam factum est, ut antequam de hac re aliquid in concilio statueremus, ordinare, si forte a superbiae peruersitate correctus est, quod uult prudetia tua de suo faciat: de fratre uero eius, cuius uel maxime causa de monasterio etiam ipse Donatus abscessit, cum intelligentias quid sentiam, nescio quid respondeam. Contradicere tamen prudentiae, honori, charitatique tuae non audeo, & sane spero id te facturum, quod membris ecclesiae salubre perspexeris.

Augustinus & Alipius Aurelio, gratulans de dono doctrinae. Epist. LXXVII

**D**O M I N O beatissimo & uenerabiliter suscipiendo, sincerissimeque charissimo fratri, & uere sancto papae Aurelio, Alipius & Augustinus in domino salutem.  
**Psal. 125** Impletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione, nunciantibus littoris tuis sanctam cogitationem tuam, adiuuante domino, qui eam inspirauit, & ad effectum esse perfidem, de omnibus ordinatis fratribus nostris, & praecipue de sermone presbyterorum, qui te presente populo infunditur, per quorum linguas clamat charitas tua maiore uoce in cordibus hominum, que illi in auribus. Deo gratias. Nam quid melius & animo gerimus, & ore promamus, & calamo exprimamus, que Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri laetius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias, qui te & tam suum pectore ditauit erga filios tuos, & id quod in intimo animae habebas, quod humanus oulus non penetrat, eduxit in lucem, donando tibi non solum ut bene uelles, uerum etiam in quibus Matth. 5 posset apparere quod uelles. Ita planè fiat, luceant haec opera coram hominibus, ut videantur, gaudeant, glorificent patrem qui in celis est. Talibus delecteris in domino, ut ipse te pro eis orantem dignetur exaudire, quoniam tu per eos loquentem non dedignaris audire. Eatur, ambuletur, curratur in via domini, benedicatur pusilli cum magnis, iocundati in his qui dicunt eis: In dominum domini ibimus: praecedant illi, & sequantur isti, imitatores facti eorum, sicut & illi Christi: ferueat iter sanctorum formicarum, fragrante opera sanctorum apium, feratur fructus in tolerancia cum salute perseverandi usque in finem. Nec sinat dominus tentari supra quod possumus ferre, sed faciat cum tentatione etiam exitum, ut possimus sustinere. Orate pro nobis digni exaudiens, cum tanto sacrificio acceditis ad deum sincerissimae dilectionis & laudis eius in operibus vestris: orate ut & in nobis haec luceant, quoniam nouit ille quem oratis, cum quanto nostro gaudio in uobis luceant. Haec sunt uota nostra, haec multitudines solatiorum, secundum multitudinem dolorum nostrorum in corde nostro, iocundant animam nostram. Ita est quia ita promissum est, ita erit quod restat sicut promissum est. Obscuramus te per eum, qui tibi ista donauit, & populum cui seruis hac per te benedictione perfudit, ut iubeas singulis, quos uolueris sermones eorum seorsum conscriptos & emendatos mitti nobis. Nam & ego quod iussisti non negligo, & de Tychonis septem regulis uel clauibus, sicut saepe iam scripsi, cognoscere quod tibi videatur expecto.

Augustinus Hesychio, de die supremo mundi non inquirendo, deque Hebdomadibus Danielis.

Epistola LXXVIII

**D**O M I N O beatissimo Hesychio, Augustinus. Ad sanctitatem tuam filio tuo compresbytero nostro remeante Cornuto, per quem litteras tuas uenerationis accepi, quibus exiguitatem meam uisitare dignatus es, & tandem rescripta persoluo, & debitum relatum obsequium, multum me commendans acceptissimis domino precibus tuis domine beatissime frater. De propheticis autem dictis siue predictis, de quibus uoluisti ut aliquid scriberem, melius mihi uisum est sancti Hieronymi hominis doctissimi expositiones corundem uerborum (ne illas forte non habeas) de opusculis eius excerptas, dirigere beatitudini tuae.

Si